

1199

/ Admodum Reverendae Matres, et tanquam filiae in Christo. Binas  
accepi a RR.VV. litteras cum adiunctis aliis ad Summum Pontificem.  
Paulo serius ad me litterae pervenerunt, quoniam abfui ab Urbe Ro-  
ma toto fere mense Maio; sed ubi redii, statim accessi ad Pontifi-  
5 cem, et litteras dedi; sed cum narrare inciperem tragoediam lamenta-  
bilem, Sanctitas sua dixit, se iam omnia ab aliis cognovisse, et  
per litteras admonuisse regem Poloniae, et episcopum Cracoviensem,  
ut diligenter, atque citissime tantis malis remedium adhiberet. Ego  
sane totus cohorruui, cum tantum sacrilegium in litteris vestris  
10 legi; sed impius ille raptor sponsae non iam suae, sed Iesu Christi,  
dabit omnino meritas poenas; et si forte manus hominum fugiat, ma-  
nus certe Omnipotentis Dei neque vivus, neque mortuus effugiet. Ob-  
secro autem Reverentias Vestras, ut non concidatis animo ob haec  
adversa: tentat enim vos Dominus, ut videat si in eum sperare, eum-  
15 que etiam in adversis diligere perseveretis. Commendo me precibus  
vestris, paratus semper monasterium istud pro viribus apud Deum, et  
homines adjuvare. Romae die 4 Augusti 1612.

---